



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opusculvm, De Vitis
Romanorvm Pontificvm**

Liutprandus <Cremonensis>

Mogvntiae, 1602

LXVIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11115

gentem Anglorum, qui eos conuerterent ad Dominum I E S V M Christum. Domum quoque suam monasterium constituit. Qui mortuus sepultus est ad B. Petrum Apostolum ante Secretarium die 12. mensis Martii. Et cessauit Episcopatus menses 5. dies 19.

LXVII.

SABINIANVS, natione Tuscus, de ciuitate Blera, ex patre Bono, sedit annum 1. menses 5. dies 9. Quo tempore fuit fames grauis in ciuitate Romana. Qui facta pace cum gente Langobardorum iussit aperiri horrea Ecclesiæ & venundari frumenta pro solido uno modios 30. Hic in Ecclesia B. Petri Apostoli luminaria addidit. Qui sepultus est in Ecclesia B. Petri Apostoli. Depositus autem est sub die 22. mens. Februar. Et cessauit Episcopatus mensibus 10. dieb. 26.

LXVIII.

BONIFACIVS, natione Romanus, ex patre Ioanne, sedit mensibus 8. diebus 22. Hic obtinuit apud Phocatem Principem, ut sedes Apostolica B. Petri Apostoli caput esset omnium Ecclesiarum, quia sedes Constantinopolitana primam se omnium Ecclesiarum scribebat. Constituit etiam Synodum in Ecclesia B. Petri Apostoli, in qua sederunt Episcopi 72. presbyteri 30. diaconi 3. & clerus omnis, sub anathemate, ut nullus Pontifice viuente Episcopum ciuitatis se presumat dicere, aut partes sibi de electione facere, nisi tertio die depositionis eius. tuncque adunato clero & filiis Ecclesiæ electio fiat. & quem quis voluerit, habebit sibi licentiam eligendi sacerdotem. Defunctus autem sepultus est in Ecclesia B. Petri Apostoli die 12. mens. Nouemb. Et cessauit Episcopatus mens. 10. dies 6.

LXIX.

BONIFACIVS, natione Marsus, de ciuitate Valeria, ex patre Ioanne medico, sedit annis 6. mens. 8. diebus 13. Huius temporibus fames, pestilentia, & inundationes aquarum grauissimæ fuerunt. Qui petiit à Phocate principe templum, quod appellabatur Pantheon, in quo fecit Ecclesiam beatæ semperque Virginis Mariæ. Qui defunctus die 25. mensis Maii, sepultus est ad beatum Apostolum Petrum.

T

LXX.